





1732, 3a 14.
3
D. D. B. V.
DE
**EMINENTIORIBVS DV-
CATVS DVCVMQVE LO-
THARINGIAE PRAE-
ROGATIVIS**

DISSERTATIO IVRIS PVBLICI

SERENISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,
D O M I N O

FRANCISCO STEPHANO,
DVCI LOTHARINGIAE, MARCHISO, DVCI CALA-
BRIAE, BARRI, ET GELDRIAE, MARCHIONI PONTAMV-
SONI ET NOMENII, COMITI PROVIN CIAE, VALDEMONTII,
BLAMONTII, ZVTPHANIAE, SAHRVERDAE ET SALMIAE.
PRINCIPI LONGE CLEMENTISSIMO, CONSECRATA,

ET
PRAESIDE

RECTORE MAGNIFICO,

ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO VIRO

IO. GOTTL. HEINECCIO, IC.

REG. MAI. PRVSS. CONSILIAR. INT. ET
PROF. P. ORD.

PATRONO AC PRAECEPTORE SVO OMNI PIETATE ET
OBSERVANTIA COLENDO,

IN ALMA VIADRINA

D. XVII. MARTII MDCCXXXII.


H. L. Q. C.

PVBLICAE DISQVISIONI PROPOSITA

AB AVCTORE

CHRISTIANO HENRICO ENGELKEN,

Rostochienfi. J. V. C.


FRANCOF. AD VIADR. Typis SIGISMUNDI GABRIEL. ALEX.

1848
DEPARTMENT OF THE INTERIOR
GEOLOGICAL SURVEY
WASHINGTON
D. C.
REPORT
ON THE
GEOLOGY OF THE
STATE OF MICHIGAN
BY
GEO. H. RICE
AND
J. W. COOPER
1862

SERENISSIMO AC CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
D O M I N O
F R A N C I S C O
S T E P H A N O,
DVCI LOTHARINGIÆ,
MARCHISO,
DVCI CALABRIÆ, BARRI ET GELDRIÆ,
MARCHIONI PONTAMVSSONI ET NOMENII, COMITI
PROVINCIAE, VALDEMONTII, BLAMONTII
ZVTPHANIÆ, SAARVERDÆ
ET SALMIÆ,
RELIQVA
PRINCIPI LONGE CLEMENTISSIMO,

EELICITATEM PERENNEM!

SERENISSIME AC GELSISSIME
PRINCEPS,
DOMINE LONGE CLEMENTISSIME.



N incredibili hac letitia, quam ex aduentu
TVO exoptatissimo, tamquam exortu auspica-
tissimi sideris, *Muse Viadrinae* per-
cipiunt, ac praesferunt apertissime; in
me quoque exardescit iam dudum conce-
pta pietas, nec imperare sibi ullo mo-
do potest, quin plaudentium & con-
gratulantium choro immisceatur.
Circumspicienti autem, qua potissi-
mum

*mun ratione sensui huic tam fla-
granti ac religioso satis liceret face-
re, atque adeo eundem utcunq; CEL-
SITVDINI TVAE probare, nihil mihi ac-
comodatius visum est, quam ut, prin-
cipalem adorans purpuram, ad pul-
vinar TVVM publice votiuam hanc
tabulam appenderem, simulque Dis-
sertationem, quam vides, arido licet
pumice in hac temporis angustia ex-
politam, TIBI demississime consecra-
rem: quam si fronte TVA, hoc est sere-
na, excipere haut dedignaberis, me
quidem omnia consequutum esse, &
pietatis meae fructum cepisse vberri-
mum, dum viuam, existimabo. DEVS
O. M. faxit, ut in perpetuum floreas o-
mni*

*mni felicitate & gloria, & quam diu-
tissime superstes, laudes, quibus de-
missus ad seruire obsequium populus
Rom. Traianum suum prosequutus
est, non modo ex æques, sed & virtute
rerumq; gestarum magnitudine su-
peres, TEque, Traiano meliorem,
quin amorem delictumq; generis hu-
mani, omnes moratiores populi in-
corrupta fide venerentur. Ita
voueo, votique me mei conuinci atq;
damnari ex animi sententia cupio*

REGIAE CELSITVDINI
TVAE

MVLTO DEVOTISSIMVS
CHRIST. HENR. ENGELKEN.



DE
EMINENTIORIBVS DVCATVS
ET DVCVM LOTHARINGIAE
PRAEROGATIVIS
EXERCITATIO IVRIS PVBLICI.

SYNOPSIS

§. I. *Occasio differendi & instituti ratio.* §. II. *Lotharingiae veteris magnitudo & nominis ratio.* §. III. *Fuis olim regnum.* §. IV. *Et quidem sui iuris, nisi sub Zuenteboldo Rege.* §. V. *Ducatus, ex regnis nati, variis gauisi sunt praerogatiuis, in primis quod palatiis regnis illustrati sint Elegans obseruatio Speculatoris Saxonici de Comitibus palatinis, in Ducatibus, qui ex regnis nati sunt.* §. VI. *Talis & Lotharingia.* §. VII. *Quia ibi sedes regni primaria, Aquisgranum.* §. VIII. *In Lotharingia non solum Comes palatinus prouincialis; §. IX. Sed & Comes palatinus Imperii.* §. X. *Cur hic palatinatus interiecto tempore ad superiorem Rhenum migrarit?* §. XI. *Magna Lotharingorum in Rege Germanorum eligendo auctoritas.* §. XII. *Duces Lotharingiae aliquando archiofficio in coronationibus Imperatorum functi sunt.* §. XIII. *Lotharingia aliquando Archiducatus.* §. XIV. *Postea inde nati duo ducatus potentissimi.* §. XV. *Inferior Lotharingia iterum in varios ducatus abiit.*

abiit, eosque opulentissimos. §. XVI. Cur Dux Brabantiae Lotharingiae nomen adfectarit? §. XVII. Itemque cur aliquando ius gladium in Imperatorum coronationibus praefereudi sibi vindicari? §. XVIII. Lotharingiae superioris seu Mosellanae praerogatiua. §. XIX. Nexus eius cum imperio & formula. §. XX. Eius hodierni tituli & insignia honoris. §. XXI. Titulus Regiae celsitudinis. §. XXII. Familiae Lotharingicae splendor. XXIII. Ea eiusdem cum Habsburgica originis. §. XXIV. Viriusque gentis felicitas in vindicanda vetere Lotharingia. §. XXV. Conclusio dissertationis cum voto pro domo potentissima concepto.

§. I.



Vm alia Principum Romanorum gesta, tum & itinera eorumdem & profectiones, in veteribus numis exprimi, aeternitatiq; consecrari consueuisse, neminem, istarum rerum non plane incuriosum, ignorare arbitramur. Nihil enim in monumentis istis animaduertimus frequentius, quam PROFECTIONES & ADVENTVS AVGG. (a) quarum vna in Septimii Seueri Imp. numo elegantissimo apud HARDVINVM (b) *ἠμφοδμῶς* PROFECTIO AVG. FELIX vocatur, non quod felicibus auspiciis suscepta peractaque sit, (id enim commune plebi cum summis principibus esset,) sed quod bonum Principem, quaqua vrsus procedit, felicitatem laetitiamque publicam, veluti comites trahere, existimarent.

EX-

(a) Ez. Spanhem. *de praef. & usu numism. Diss. XIII. p. 620. Tomo II.* (b) Harduin. *Op. Select. p. 800.*

DVCVM LOTHARINGIAE PRAEROGATIVIS. 3

Experimentum eius rei adhuc cepit cultior Europa, qua illam Princeps celsissimus potentissimusque, Dominus FRANCISCVS STEPHANVS, *Dux Lotharingiae, Marchisus, Dux Calabriae, Barri & Geldriae, Marchio Pontamussi, & Nomenii, Comes Prouinciae, Valdemontii, Blamontii, Zutphaniae, Saarwerdae & Salmiae,* auspiciatissimo itinere peragrauit. Quaque enim proficiscentem, tot bonorum plausus, adclamationes ac vota exceperunt, vt iure nobis repetere posse videamur, quae de Traiani aduentu dixit PLINIVS: *(c) Non aetas quemquam, non valetudo, non sexus, retardauit, quo minus oculos insolito spectaculo impleret. Illum paruuli noscere, ostentare iuuenes, mirari senes, acri quoque, neglecto medentium imperio, ad conspectum eius, quasi ad salutem sanitatemque prorepere.* Quum vero publicae huius laetitiae, insignifatorum clementia, hanc Viadrinam quoque participem fore, rumor nunciarit: fieri profecto non potuit, quin exoptatissimus maximi Principis aduentus musas etiam nostras, non modo ad concipienda vota, sed & ad contemplandam LOTHARINGIAM, quae grande illud caeli depositum orbi dedit, excitaret. Natae inde nobis sunt meditationes de potentissimorum LOTHARINGIAE DVCVM ipsiusque illius DVCATVS PRAEROGATIVIS, quas quidem eo minus premendas duximus, quo magis iurisprudentiae publicae studiosis cognitum perspectumque esse oportet, quantum momenti in rep. Germanica semper traxerit Lotharingia, quantumque ipsius Lotharingiae intersit, indiuisum ac perpetuum perseuerare foedus cum Imperio Romano Germanico, quod inter vtrumque regnum

A 3

iam

(c) Plin. Panegy. Cap. XXII.

iam inde ab antiquissimis temporibus felicissimis auspiciis coaluit, & in posterum, quod auguramur, magis arctiusque indies coalescet.

§. II.

Tractum illum terrarum amplissimum, qui a Vogesi saltibus inter Rhenum, Mosam, Scaldim ad oceanum vsque porrigitur, **LOTHARINGIAE** nomen a Lothario II. Rege Francorum, Lotharii I. Imp. filio, accepisse, arbitramur. Saltim id multo probabilius videtur, quam quod REGINO PRUMIENSIS, (a) MARIANVS SCOTVS, (b) SIGEBERTVS GEMBLACENSIS, (c) OTTO FRISINGENSIS, (d) & ex recentioribus plerique tradiderunt, vocabuli istius originem a Lothario I. Imp. esse repetendam. Hic enim præter Italiam, illumque, quem paullo ante definiuimus, terrarum tractum, etiam prouincias ultra Vogesum, inter Rhenum, Vrsam, Rhodanum & Ararin, præter paucas ciuitates transrhenanas, quas Ludouicus Germanicus Rex vini causa exemerat, vasto imperio complexus est, (e) quæ quidẽ prouinciæ ultra Vogesum Lotharingiæ nomen nunquam tulerunt, sed separatas ab illo regno rationes habuerunt. Verum enim vero, diuiso inter Lotharii istius Imp. filios paterno imperio, & Ludouico, natu maximo Italia cum Augusta dignitate posito, Carolo autem Galliam Narbonensem, tanquam pa-

- (a) Regino Prumiens. in *Annal. ad ann. DCCCXLII.* (b) Marian. Scot. *ad eund. ann.* (c) Sigebert Gemblac. in *Chron. ad eund. ann.* (d) Otto Frising. in *Chron. Lib. V. cap. XXXIV.* (e) *Annal. Bertinian. ad ann. DCCCXLIII.* Regino Prum. *ad ann. DCCCXLII.* Sigebert. Gembl. *ibid.*

ternam hereditatem, cernente, reliqua illa pars quam supra suis limitibus definiuimus, Lothario II. Regi cessit, ab eoque tempore Lotharingiae nomen ei constantissime hæsit, (f) quum prouinciæ, quas Carolus tenuerat, Prouinciæ, Burgundiæ, regnique Arelatensis vocabulis a Lotharingia in eius æui monumentis discernantur. (g)

§. III

Vt cumque se res habeat, vel ex his iam factis intelligitur, LOTHARINGIAE ducatum, qui vetus nomen hodiernum retinet, olim non Ducatum, sed REGNUM fuisse, adeoque inter principes Imperii prouincias censendum esse. Neque enim tantum sub utroque Lothario per annos viginti septem eam dignitatem retinuit, verum etiam, extincta illa stirpe, & Lotharingia sensim iuris Germanici facta, consistans Lotharingis mansit illius memoria. Arnulfus sane Imp. qui Lotharingiam cum reliqua Germania a Carolo Crasso patruo, non tam iure hereditario, quam Principum suffragiis, acceperat, ei præfecit Zuentiboldum filium, & quidem non Ducem, ceu existimauit TOELNERVS, (a) sed Regem, (b) quippe quod nomen ille sibi in diplomatibus, quæ apud GVIL. HEDAM, (c) AVB. MIRAËVM, (d) aliosque leguntur, vbique adscripsit.

Quin

- (f) *Annal. Metens. ad ann. DCCCLV.* (g) *Sim. Fridr. Hahn. de iust. Burgundicæ noui vel Arelat. regni limitibus. Hal. MDCCXVI. in 40.* (a) *Toelner. in Histor. Palat. Cap. II. p. 22.* (b) *Annal. Metens. ad ann. DCCCXCIV. Marian. Scot. ad eund. ann. Otto Frisingens. Chron. Lib. VI. Cap. XII.* (c) *Gu. Heda de Episc. Ultraject. p. 63.* (d) *Aub. Mir. in Dipl. Belg. Cap. XV. & XVI. Donat. Belg. cap. XV. Notis. Eccl. Belg. cap. XXII.*

Quin & posteaquam gens Carolingica in Germania penitus defecerat, Lotharingia, sub regni nomine Germaniæ vnita, in vnum cum hac systema ita coaluit, ut sæpenumero regnum vocaretur cum ab ipsis Lotharingis, tum in titulis Imperatorum Regumque Germaniæ. Exemplo esse potest diploma Adelberonis, Episcopi Metensis, quod CHIFFLETI-VS (e) ex chartulario Gorizensi extulit, in quo sub finem legitur: *Actum Metis publice, sub die XVII. Kal. Ian. anno ab incarnatione Domini nostri CMXXXIII, regni autem gloriosissimi Regis in REGNO LOTHARIENSI VIII.* Et hæ quidem tabulæ sub Henrico I. Germaniæ Rege scriptæ sunt, quum iam ab anno eræ Christianæ DCCCCXXVI. Lotharingia in Germanici imperii corpus coaluisset per pactum Bonense, quod post DVCHESNIVM (f) & MIRAEVM (g) STEPH. BALVZIVS (h) & SCHATENIVS (i) ediderunt. Successor Henrici, Otto M. in diplomatibus quibusdam ab iisdem CHIFFLETIO & (k) AVB. MIRAEO, (l) editis, ipse se REGEM LOTHARIENSIVM & *Francigenum* vocat, quum iam Lotharingia a Ducibus regeretur. Rarius equidem eo titulo vsus esse Ottonem, facile largimur iurisconsulto eximio, IO. NIC. HERTIO. (m) nec negabimus

- (e) Chifflet. in *Comment. Lotharing.* p. 9. (f) Du Chesne *Tom. II. p. 587.* (g) Miræ. *Donat. piar. Cap. XXIII.* (h) Baluz. *Capitular. Reg. Franc. Tom. II. p. 299.* (i) Schaten. *Annal. Paderb. Lib. III. p. 255. Tomo I.* (k) Chifflet. in *Comment. Lotharing.* p. 9. (l) Aub. *Mir. Diplom. Belg. lib. I. Cap. XVII. & Donat. piar. Cap. XXXII.* (m) Hert. *Dist. de fide Diplom. Imp. & Reg Germ. Sect. I. §. XI. p. 606.*

gabimus plane, in successorem diplomatibus tale quid adhuc non esse observatum: at ipsa tamen Lotharingia ex eo quoque tempore REGNI titulum satis diu retinuit. Nam & Otto II. Imp. in charta Gorzensi apud CHIFFLETIVM (n) meminit *prædii, quod Imperator ille habuerit in REGNO LOTHARIENSI.* Ex quibus recte colligit vir consultissimus, GABR. SCHWEDERVS, (o) terras istas primum sæculo IX. sub nomine regni Lotharingæ Regno Germaniæ accessisse, postea vero sæculo XI. quo sensim titulus ille regni exoleverit, in unum cum Germania corpus magis magisque concreuisse.

§. IV.

Disceptatum aliquando meminimus, siue iuris hoc regnum fuerit, an alii, siue Neustrico, siue Germanico, clientelari nexu adstrictum? Sed nescio an ad Domitianas, quas iurisconsulti vocant, quaestiones totum isthoc *σύνεμα* pertineat. Sub Lothario I. Imp. regnum istud nemini alii mortalium, quam Domino illi suo, obnoxium fuisse, facile largientur, quotquot rerum Francicarum non plane sunt ignari. Quam enim rationem comminisci posses, cur fratris primogeniti, Augusta dignitate ornati, & Italiæ opibus subnixi, portio hereditaria vel Carolo Caluo, fratrum natu minimo, vel Ludouico Germanico, obnoxia esse debuerit? Nec quidquam mutatum dixeris, quum postea inter Ludouicum II. Imp. Lotharium & Carolum, fratres, familiæ eriscundæ ageretur. In conuentu enim Marsnensi apud AVB.

B

MI-

(n) Chifflet in *Comment. Lothar. ibid.* Add. Wibert. in *vita Leonis P. P. IX Cap. XIV. & Gestis Pontif. Cenom.* apud. Mabillon *Analect. Tom. III. p. 301.* (o) Schweder *Introd. ad Jus publ. Rom. Germ. Parr. gener. Cap. IV. §. XXII. p. 31.*

MIRAEVM (a) iam prouisum fuerat, *vt regum filii legitimam hereditatem regni secundum definitas presenti tempore portiones post eos retinerent.* Quod intelligi aliter non potest, quam illos eodem in suis regnis iure v-furos, quo vsi antea sint eorum parentes. At illos summo iure regnis suis imperasse, iam obseruauit NITHARDVS, (b) Caroli M. ex Bertha filia nepos, & iuris publici eorum temporum peritissimus. Quamuis enim initio Lotharius Imp. in reliquorum fratrum regna imperium aliquod seu dominium directum adfectaret, ac proinde ANNALES PITHOEANI (c) eum *μοναρχίαν* molitum esse, obseruent: aduersum tamen ei tenuere fratres, eorumque fideles, dominis suis, teste HINC MARO REMENSI, (d) in memoriam reuocantes, *eos Lotharii fratres esse, & sacramento regnum inter illos diuisum, & illos nec genere, nec potestate, Lothario esse inferiores.* Quibus excitati fratres libertatem suam tanta virtute tuebantur, vt magnis ausibus excideret Lotharius, fratribusque, vt NITHARDVS memoriæ prodidit, optionem concederet, vt aut præcipui quidquam sibi *propter nomen Imperatoris, & propter dignitatem Imperii, quam auus regno Francorum adiecerit, aut si id nolent, tertiam tantummodo partem totius sibi concederent, regeretque* QVISQVE ILLORVM PORTIONEM REGNI SVI, PROVT MELIVS *passet.* Haecenus itaque ἀνοπέδουον nullique alii obnoxium fuit Lotharingiæ regnum. Et quamuis extincta Lotharii I. stirpe, aliquamdiu inter Germanorum & Franco-

(a) Aub. Mir. Dipl. Belg. Lib. I. Cap. XVII. (b) Nithard. Lib. IV. (c) Annal. Pithoeani p. 38. (d) Hincmar. Remens. Epist. I. Cap. IV.

rum occidentalium consilia fluctuaret: Germaniæ tamen vnita, non iure supremi imperii excidit, sed cum regno Germaniæ in vnum veluti corpus coaliuit, adeo vt iam vtrumque regnum pro vno censetur, eiusque ordines cum magnæ Germaniæ ordinibus in iisdem comitiis congressi, in commune consulant. Illud tamen negare nolim, quod iam ab aliis (e) est obseruatum, Zuenteboldum a patre Arnulfo Lotharingico regno præfectum, non suis auspiciis ita imperasse, vt omnia suo arbitrio egerit, sed Germaniæ maiestatem comiter venerari debuisse, quamvis non admodum diuturnum fuerit intercalare illud Zuenteboldi imperium.

§. V.

Lotharingiæ ex eo, quod olim regni ἀξίωμα habuerit, non parum prærogatiuæ accessisse, nemo dubitauerit. Constat enim inter omnes, qui in iurisprudentiæ publicæ origines paullo accuratius inquirunt, prouincias illas Germaniæ, quæ olim sub Francis regnatæ sunt, reliquis omnibus dignitate præcelluisse. Id quod vel inde patet, quod solæ illæ prouinciæ palatiis regiis locum præbuere, suosque retinuere comites Palatinos, qui ibi vice Imperatoris vel Regis Germaniæ ius dicerent. Extant passim in SPECVLO SAXONICO præclara iuris publici Germanici vetustioris vestigia, quæ tantum abest, vt tam acri censura omnia perstringi atque explodi debuerint a viro, quem paullo ante laudauimus, doctissimo, (a) vt dignissima aliis ple-
 B 2 raque

(e) Ludewig. *Singular. iur. publ. Romano Germ. Prefat.*
 p. 86. (a) Dn. a. Ludewig. *ibid.* §. VIII. p. 48.

raque videantur, quæ maiore cura illustrentur ab eruditis. (b) Inter hæc postremi generis *εμβλήματα* nescio an non primo loco ponendum sit, quod SPECVLATOR ille (c) de prouinciis Germaniæ, quæ ex regnis natæ sint, scribit: *In Teutschen Landen hat jedes Land seinen Pfalz Grafen. Sachsen hat einen/ Bayren hat einen/ Francken hat einen/ Schwaben hat einen.* Diese vier Lande waren hievor alle Königreiche. Ex eo ergo, quod regna fuerint hæc prouinciæ, rationem reddit, cur cuique comes palatinus aliquis iuris dicundi causâ præfectus fuerit. In singulis enim regnis plura erant palatia, quæ singulari industria recensuit IO. MABILLONIVS. (d) Palatiis vero Comites palatini præerant ex moribus veterum Francorum. (e) Hinc in Saxonia, quæ sub Ludouico iuniore, Ludouici Germanici filio, æque ac Franconia regni formam induerat, floruerunt Comites Palatini Saxonix, quorum iam sub Ottone III. Imp. meminit DITMARVS MERSEBURGENSIS. (f) Nec ignotum est, palatinatum illum, primum penes Comites Werinenses, hinc penes Gozecenenses & Sommerseburgenses, postremo penes Landgrauios Thuringiæ, Ducesque Saxonix tum Anhaltinæ, tum Misnicæ stirpis, fuisse, & penes hos quidem etiamnum esse, quamuis illum ex consulta ratione in insignibus, quam in titulorum serie

(b) *Thomas Delin. Hist. Iur. §. 109. Nec aliter philosophantur Schilterus, Hertius, Beyerus, Gundlingius, quorum loca omnia adferre, superuacuum foret* (c) *Ius prouinc. Sax. Lib. III. Art. LIII. §. 1.* (d) *Mabilon. de Re diplom. Libro IV. toto.* (e) *Hincmar. Epist. III. Cap. XXXI.* (f) *Ditmar. Merseb. Lib. V. p. 352. edit. Leibnit.*

serie, exprimere malint. (g) Ita & Alamannia, quum sub Carolo Crasso regnum fuerit, Comites Palatinos habuit, qui Tubingæ sedem sibi constituerant, quorumque chartæ veteres & annales passim meminere. (h) Nec minus celebres sunt Comites palatini Bauariæ, quorum primum Arnulphum, Arnulphi mali filium, fuisse, ex RVOTGERO (i) ostendit NIC. HIER. GVNDLINGIVS. (k) De Franconia denique quum paullo post idem demonstrandum sit: vera profecto ac solidissima est SPECVLATORIS SAXONICI obseruatio, provincias omnes, quæ ex regnis in ducatus fuerint commutatæ, suos palatinatus habuisse. Saltem tales haut reperias in prouinciis reliquis, quæ quantumuis postea ad summum dignitatis Regiæ vel Ducalis fastigium adspirarint, Caroli M. tamen posteris tanquam regna, nunquam subsuerunt. Nam nec Bohemicæ nec reliquæ Venedicæ prouinciæ Comites palatinos habuerunt; vel, si quis ibi terrarum hoc titulo usus est, (de quo tamen non constat quum Comitis palatini Lusatiæ quem apud LAMBERTVM SCHAFNABVRGENSEM, (l) reperisse sibi visus est HERTIVS (m) nusquam vel vola vel vestigium occurrat, & Lambertus ille potius de Comite palatino Lotharingiæ loquatur:) saltem ille non Imperio immediate, sed duci vel marchioni suo obsequium de-

B 3 buit

- (g) Gundlingiana Part. XXI. Diss. 1. §. 12. (h) Monim. Wurtemb. in Monast. Bebenhus. n. 3. (i) Rotger. in vit. Brunon. Cap. XVI. apud Leibnit. Tom. I. script. rer. Brunsv. (k) Gundling. ibid. p. 23. (l) Lamb. Schaffnab. in Chronic. ad ann. MLVII. (m) Hert. in Dissert. de Consultat. Leg. & iudiciis in special. Rom. Germ. Imp. rebus publ. §. XIX. p. 452.

buit, adeoque ad illam reliquorum, de quibus nos loquimur dignitatem, haut adspirauit.

§. VI.

Quid vero de Franconia & Lotharingia dicemus? Hanc enim a Lotharii I. Imp. temporibus, semper; illam sub Ludouico iuniore aliquamdiu regnum fuisse, paullo ante demonstrauius. Sed salua res est. Quum enim Ludouicus iunior Franconiam & Saxoniam ex paterna Ludouici Germanici hereditate accepisset: ei portioni etiam accessit, quidquid Ludouicus, pater, ex defuncti Lotharii regno seruaauerat. (a) Non mirum ergo fuerit, si Comes Palatinus ad Rhenum utriusque prouinciæ simul ius dixerit. At postea & suos comites palatinos habuit Lotharingia, a Comitibus Palatinis ad Rhenum diuersiffimos. Talem enim reperimus apud LAMBERTVM SCHAFFNABVRGENSEM, (b) qui dum in Henrici IV. historia versatur: *Chuno, inquit, cognatus regis, Dux factus est Carentiorum: frater eius Henricus, palatinus Comes LVTHARIORVM (inde ergo Lusatorum Comitum palatinum finxit HERTIVS,) instinctu demonis monasticam vitam professus est in Gorzia. Sed per paucos dies, vulgante se demonio, quo illusus fuerat, sanctæ conversionis habitum, quo se angelus Satanae in angelum lucis transfigurauerat, abiecit, uxoremque suam & possessiones, desertor Dei & transfuga, recepit.* Habes itaque Henricum, Comitem palatinum Lotharingiæ, fratrem Chunonis, Carinthiæ Ducis, regis Henrici IV. cognatum, ex Arnulphi Mali, Ducis, prosapia oriundum,

(a) *Annal. Fuldens. ad ann. DCCCXXX. Regino Prum. ad eundem ann. Baluz. Capitul. Reg. Franc. Tom. II. p. 221.* (b) *Lamb. Schaffnab. ad ann. MDXXV.*

dum, ceu docet stemma hoc genealogicum, ex MONACHO BRUNVILERENSI apud LEIBNITIVM (c) potissimum excerptum:

Arnulfus. Malus,
Dux Bavariae,
caesus anno 953.

Arnulfus, Comes
Palat. Bauar. occi-
sus anno 933.

Hermannus Puffillus, Comes Pa-
latinus Rheni 939. occisus anno
959.

Ezo seu Ehrenfridus, Comes Pa-
latinus. ob. 1035.

Vx. Mathildis, Ottonis II. Imp. filia.

Ludolphus, Comes
palat. ob. 1032.

Hermannus,
Archiep. Col.
ob. 1056.

Henricus, Furiosus,
Comes palatinus
Lotharingae. ob.
1093.

Cuno, Dux
Carinthiae.
ob. 1055.

Ex quo simul patet, quod iam ab aliis animaduer-
sum, (c) rationem fugere doctissimum TOELNE-
RVM, (d) Henrico huic locum inter Comites Pala-
tinos ad Rhenum concedentem, quum in Lotha-
ringia potius ea dignitate, teste LAMBERTO
SCHAFFNABVRGENSI, functus sit.

§. VII.

(c) Monach. Brunvilerens. Cap. I. apud Leibnit. Tom. I. Script.
rer. Brunsv. C. p. 315. sequ. (c) Mascou. de Nexu
regni Lotharing. cum imperio Rom. Germ. Sect. I. §. VII.
not. 6. p. 10. (d) Toelner. Hist. Palat. p. 251.

§. VII.

Ex his porro, quæ adhuc dicta sunt, fatis adparet, primum locum tenuisse Lotharingiam, non modo quia regnum fuit amplissimum, sed & quia Aquisgranum, totius imperii sedes & palatium primum in ea situm fuit Non iam id probabimus ex subleste fidei tabulis Aquisgranensibus, (a) in quibus Carolus M. communi omnium Procerum ipsiusque Pontificis Rom. suffragiis sanxisse fertur, *ut hæc SEDES REGNI trans Alpes habeatur, sitque CAPVT omnium ciuitatum & provinciarum Galliæ.* Eas enim acutior criticorum natio iam pridem *νοθείσεως* postulauit, suspectasque ipse habuit, qui illas editione dignas iudicauerat, AVB. MIRAEVS. (b) Aliis ac solidioribus longe testimoniis nititur ea Aquisgrani prærogatiua. Diserte enim WIPPO (c) scribit: *Collecto regali comitatu, Rex Conradus primum per regionem Ribuariorum usque ad locum, qui dicitur Aquisgrani palatium peruenit, ubi PVBLICVS THRONVS REGALIS, ab antiquis Regibus & a Carolo præcipue, locatur. TOTIVS REGNI ARCHISOLIVM habetur.* Et DITMARVS (d) auctor est, iam antiquissimis temporibus in orientali parte illius palatii conspectam fuisse aquilam, *quam moris fuerit omnium, locum hunc possidentium, ad sua eum vertere regna.* Quibus innuit auctor grauissimus, gliscentibus inter Germanos Francosque occidentales turbis, & modo his Lotharingiam inuadentibus, modo illis eam, tamquam suam, vindicantibus, solenne fuisse victoribus, aquilam il-

(a) Mir. Donat. piar. Cap. XI. p. 14. (b) Aub. Mir. *ibid.* not. 7. Add. Gundlingia Part. XVIII. Diss. I. §. 6. p. 244. sequ. (c) Wippo in vita Conradi Imp. p. 426. (d) Ditmar. in Chron. Lib. III. p. 343.

lam, quæ sublimis in palatio præfulgebat, in eam partem conuertere, qua victores rerum potirentur, vt respiceret orientem, quoties Germani; occidentem, quotiescumque Franci occidentales Aquisgranum occupassent. Existimasse itaque videntur, eum imperium tenere, qui teneat imperii sedem, Aquisgranum. (e) Ex quo satis patet, cur non modo nostris temporibus antiquæ istius gloriæ sit tenacissima, & *ἀξίωμα* istud hymnis & inscriptionibus in Curia propylæo conspicuis seruare studeat: (f) verum etiam iam olim in plerisque monumentis audiat *der Königl.iche Stuhl und Stadt Nach.* (g)

§. VIII.

Quemadmodum ergo inde non parum decoris accessit Lotharingiæ, quod in ea vera fedes totius regni ac veluti domicilium sacri imperii esset constitutum: ita nec hoc illi minori laudi cedit, quod ex eadem ratione & primarium totius regni Comitem palatinum habuerit. Vidimus supra, (§. VI.) fuisse Lotharingiæ Comitem palatinum proprium, eoque honore Henricum Furiosum, imperante Henrico IV. Imp. functum esse, ostendimus. Sed illi cum Aquisgranensi palatio nihil rei fuisse videtur. Rem in pauca conferemus. Quemadmodum quod ad ecclesiæ regimen attinet, duæ erant regni Lotharingici metropoles

- (e) Gundlingiana Part. XVIII. Diff. II. §. XIV. p. 264.
 (f) Limn. Lib. VII. Cap. II. n. 8. ubi & de hymno: *Vrbs Aquensis, vrbs regalis, sedes regni principalis, prima Regis curia.* (g) Diploma Caroli V. apud Limn. Iur. publ. Lib. VII. Cap. II. n. 11. vet. Addit. Tomo II. ad Lib. VII. Cap. II. p. 71. Fritsch. in Addit. ad Limn. p. 195. seqq.

poles, Augusta Treuerorum & Colonia Vbiorum: ita totidem erant Regum palatia, Mediomatricum (gg) & Aquisgranum, quorum alterum in superiore; alterum in inferiore Lotharingia florebat: alterum Lotharingici regni proprium, alterum commune imperii Germanici domicilium habebatur. Itaque & consensaneum videbatur iuris publici Francici principis, esse in Lotharingia comites Palatinos tum illi regno proprios, qualis fuerat Henricus ille Furiosus, tum & communes totius regni, quia ibi esset totius regni sedes & WIPPONIS stilo, archifolium.

§. IX.

Et hi postremi sunt illi COMITES PALATINI ad Rhenum, quorum maxima in vniuerso Imperio fuit & etiamnum est auctoritas. Sane iam TOELNERVS (b) obseruauit, Palatinos ad Rhenum non olim ad Nicrum & in superiore parte Rheni, sed inferius in Lotharingia circa Mosellam & in finibus Belgii potissimum sedisse. Sane inter eorum præcipuas terras recenset Comitatum *Nemoris* & in eo castrum *Thonaburg*, hodie *Thomberg*, *Berchem* & *Duren*, in Ducatu Iuliacensi, *Brouilre*, Dominium ad *Lacum*, Comitatum *Meyenfeld*, *Monasterium Eistria*, *Palatiolum*, *Wälzl* haut procul Treueris, quin & magnam siluæ *Arduenna* & *Ducatus Iuliacensis* partem cum terris vicinis cis & trans Rhenum, vt dubitari non possit, Palatinatum Rheni olim in inferiore parte Lotharingiæ a Belgio ad Mosellam vsque circa Aquisgranum habuisse domicilium, non in iis terris, quæ iam Palatinatus ad Rhenum

voca-
(gg) Blondell. *Plen. Assert.* p. 270. (b) Toeln. *Hist. Palat.* Cap. II. p. 24.

vocabulum adoptarunt. Quod quum vulgo minus sit cognitū, non mirū est, de palatinatu vetere ignorantiam suam professos esse viros, rerum Germanicarū ceteroquin peritissimos, MVNSTERVM (i) FREINSEMIUM, (k) FREHERVM (l) HERM. CONRINGIVM, (m) quorum postremi ideo plane in hanc opinionem inciderunt, quod Palatini Comites ad Rhenum veteres fixam sedem plane non habuerint, sed in aulae Regiae comitatu perpetuo fuerint. Quod ut de eorum personis fortassis verissimum est: ita inde frustra collegeris, non fuisse certum eis palatium, ubi praecipue ius dicerent, nec assignatas terras aliquas, unde aliorum Principum more reditus tam splendido officio dignos caperent, ceu recte animaduertit LEIBNITIVS. (n) Rem omnem expe dit MONACHVS BRAUVILERENSIS, (o) qui de Ezone Comite Palatino: *Denique, inquit, totius Galliae Principum quum esset corporis elegantia venustissimus, mentis industria prudentissimus, animi magnanimitate fortissimus, ad disponenda negotia tam privata quam publica discretissimus, REGALIS PALATII apicem iure PATERNI SANGVINIS strenuissime gubernando, eo profecit honoris ut suam semper gloriam pluris, quam accepisset, efficeret decoris.* Et paucis interiectis: (p) *Cuius transitum in AQUISGRANI PALATIO, prope cognito (nam ibi tunc COMES PALATINVS erat, oc-*

C 2 cupa-

- (i) Munster. in *Cosmogr. lib. III Cap. CCL* (k) Freinshem. de *Vicariat. Palat. Cap. IX. n. XVI. p. 93.* (l) Freher. *Orig. Palat. p. 1. sequ.* (m) Conring. in *Censura Diplom. Ludouiciani Lindau. Cap. XI. p. 203.* (n) Leibnit. in *Praefat. Tom. I. Script. Rev. Brunsv. n. XXVII.* (o) Monach. Brauuuil. apud Leibnit. *ibid. Cap. I. p. 314.* (p) *Idem ibid. Cap. II. p. 318.*

cupatus tum totius LO THARINGIAE maiorum colloquio.) assumtis eis secum, quorum alii se dominum, nonnulli decus & Imperii gloriam amisisse, dolerent, gemerent & plangerent, velocius peruenit ad contubernalis suæ corporis exanimi pignus venerabile. Ex eo itaque omnino sequitur, quod demonstrandum susceperamus, Palatinatum ad Lotharingiam pertinuisse, & Aquisgranensi potissimum palatio fuisse adfixum, non autem iis locis, vbi iam prouincia amplissima fertilissimaque Palatinatus ad Rhenum cognomen tuetur, situm fuisse.

§. X.

Nimirum, quod demum ad superiorem Rhenum veluti migravit Palatinatus, inde factum, quod dubia terrarum illarum possessione, & Germanis Francisque de Lotharingia perpetuo fere litigantibus, consultissimum putarent, terras, quas iam tum ad superiorem Rhenum tenuerant, variis accessionibus locupletare. Ita sensim adquisiuere Comitatum *Stalecke & Bacharach, Graichgouiam cum burgo Heidelberg, Comitatum Stalubel*, & reliquas, quas iam Palatini ad Rhenum possident, prouincias, quarum incrementum prolixè describunt ZEILLERVS, (a) FREHERVS, (b) TOELNERVS, (c) & alii. At in ista nouæ fertilissimæque prouinciæ acquisitione fere contigit, quod solet in alluionibus, vt quo maius vni loco incrementum accedit, eo plus alteri decedat. Terras enim ad inferiorem Rhenum plerasque omnes Comites Palatini vel in ecclesias & monasteria, a se condita, liberaliter contulerunt, si essent

(a) Zeiller. *Topogr. Palat. Rheni passim.* (b) Freher. *Orig. Palat. Lib. II. Cap. 10. & passim.* (c) Toelner *Hist. palat. Cap. II. p. 28. sequ.*

essent allodiales, vel, si clientelari nexu obstrictæ imperio, aliis in subfeudum dederunt, ceu singulari capite demonstravit TOELNERVS. (d) Vnde mirifice creuerunt Comitum Iuliaci, Cliuiæ, Montium, aliorumque opes, & in tantum auctæ sunt, vt non modo ipsi ad Ducalem in Imperio dignitatem adspirarent, sed ista etiam in vrbem Aquisgranum protectionis iura exercerent, quæ olim ad Comites Palatinos Imperii non minus pertinuerunt, quam iura Aduocatiæ supremæ, (Ober-Boigten) quæ sibi postea vindicarunt Brabantini. (e)

§. XI.

Quæ hætenus de primario imperii palatio in Lotharingia, & palatinatus Imperii genuina sede, disseruimus, eo pertinent, vt tanto magis apparet, principem Germaniæ prouinciam fuisse Lotharingiam, in qua quippe totius Imperii sedes ac veluti domicilium, & ob coniunctum cum illo Palatinatum suprema caussarum ad palatium delatarum iurisdictionis fuit. Atque hinc facile reddi poterit ratio, cur tam multum semper momenti positum fuerit in Lotharingia, quotiescumque de eligendo Romano Imperatore agebatur. Præterquam enim quod in Lotharingia esset palatium regium, ibique imposita corona inaugurari solerent electi Germanorum Reges, (e) quod postea AVREA BVLLA (d) firmatum est: præcipuæ etiam

C 3

in

(a) Toelner *Hist. Palat. Cap. III.* (b) Sprenger *Iurispr. publ. p. 457.* Rex Hispania habet ratione Brabantia ius præfecturæ, (vulgo Ober Boigten) in ciuitate, & Dux Iuliacensis ius protectionis. (c) Gundlingiana. Part XVIII. *Diss. II. p. 233. seq.* (d) *Aur. Bulla Cap. XXVIII. §. 8.*

in electione partes erant non modo Archiepiscoporum Treuerensis & Coloniensis, verum etiam Comitum Palatini, quibus & eo tempore, quo adhuc omnes Imperii Ordines Regem communi suffragio creabant, ius *αρχιεπισκοπικῆς* compete-
 bat cum Moguntino, nec non reliquis qui primaria regni officia, id est pincernatum, marschallatum, camerarium, (sit venia verbis, in iure publico semel receptis,) gerebant. Hinc quamvis priorum temporum Reges Germaniæ ab vniuersis Principibus electi dicantur: AVCTOR tamen VITAE MATHILDIS, (e) iam sæculo decimo Ottonis M. electionem describens, meminit *De Actorum primorum, qui de statu regni consilium habuerint.* Et in electione Lotharii, teste ALBERICO, (f) Triumfontium monacho, in consilium adhibiti eminentiores aule regalis primates. Denique quum, diuisis principum suffragiis, ab aliis Philippus Sueuus, ab aliis Otto Brunsvicensis eligeretur, huius electionem vel ideo ratam habuit INNOCENTIUS PP. III. in Epistola singulari ad Principes Teutoniæ & Alamanniæ, (g) *quod tot, vel plures ex his, ad QVOS PRINCIPALITER SPECTAT IMPERATORIS ELECTIO, in eum consensisse noscerentur, quot in alterum consenserint.* Quæ quum certissima sint: nemini obscurum erit, quanta Lotharingorum fuerit in eligendis Imperatoribus auctoritas. Tres enim ex eo regno erant, quibus illud ius *αρχιεπισκοπικῆς* in electione Regis iure ab antiquissimis temporibus recepto compete-
 bat. Treuerensis, Coloniensis, &
 Co-

(e) *Auctor Vita Mathid. Cap. II. p. 197. ad Leibnit. Tomi script. Rer. Brunsv. (f) Albericus Chronic. ad ann. MCXXV. (g) Innocent. III. Epist. Tomo I. p. 700. edit. Baluz.*

Comes Palatinus. Præterea uni ex illis, puta Coloniensi, Basiliica Aquensis, in qua corona more maiorum incingendus erat nouus Rex, tanquam episcopo dioecesano suberat. Adeoque non facile quisquam ea suprema inter Christianos dignitate potiebatur, nisi qui de Lotharingorum favore esset certissimus. Plura eius rei existant exempla. Nam non modo in eligendis Regibus Germaniæ vel præcipue mentio fit Lotharingorum: veluti in electione Henrici II. (b) & Conradi II. (i) verum etiam ex eiusdem Henrici II. (k) & Henrici V. (l) electione patet, tamdiu quasi in lubrico stetit reges, quamdiu nondum obtinuerint Lotharingorum suffragia.

§. XII.

Quin non modo in electione, verum etiam in coronatione Regum Germaniæ haut postremas quandoque Lotharingorum partes fuisse comperimus. In eo inaugurationis actu præcipue elucet imperii Germanici splendor, dum primarii eius Principes officii aulicis publice & cum adparatu funguntur. Id vero quomodo in coronatione Ottonis I. factum sit, referens *WITECHINDVS SAXO*: (a) *Duces, inquit, administrabant; LOTHARIO-RVM Dux Giselbertus, ad cuius potestatem locus ille (Aquisgranum) pertinebat, omnia procurabat, Eberhardus mensæ*

(b) Adelbold. *Vit. S. Henrici Imp. Cap. XI.* Ditmar. *Merseb. Lib. V. p. 369.* (i) Wippo in *vita Conradi p. 426. sequ.* (k) Ditmar. *ibid.* (l) Siegb. *Gembl. ad ann. MCVI.* Otto Frising. *Lib. VII. Cap. XII. Auct. Vitæ Henrici IV. p. 391.* (a) Witich. *Saxo Lib. II. Annal. p. 246.*

*menſe præerat. Hermannus Francus pincernis. Arnulphus equeſtri ordini & eligendis locandisque caſtris præerat. Giſelbertum Lotharingæ ducem tum officio aulico, vel, vti hodie vocant, archiofficio functum eſſe, ex his verbis tam perſpicue adparet, vt alia probatione vix opus ſit. At minus expeditum videtur quodnam fuerit illud archiofficium? Sed ſaluare eſt. Quum enim archipincerna tum fuerit Hermannus Francus, archidapifer Eberardus, & cura equeſtris ordinis & præfectura locandorum caſtrorum, qua Arnulphus tum functus eſſe dicitur, procul dubio ad archimarchalli officium pertinuerit, quemadmodum hodiernum Elector Saxonix eam curam in comitiis & aliis imperii conuentibus, Marſchallo Pappenhemio demandare ſolet: (b) conſequens fane eſt, vt Giſelbertus tunc archicamerarii ſplendidiffimum officium, quod nunc cum Marchia noſtra Brandenburgica eſt coniunctum, ſuſceperit. Vidit hoc iam HERM. CONRINGIVS, (c) & IO. IAC. MASCOVIVS, (d) reſque tam clara eſt, vt merito fluctus in ſimpulo mouere dicas BOECLERVM, (e) qui Witichindi verba ita interpretatur, vt plane non loquantur de archiofficio, ſed innuant tantum. Giſelbertum id egiſſe, quod omnibus Ducibus imperii incubuerit, vt Rege aut Imperatore in provinciam, cui quique præerat, veniente, de neceſſariis ei proſpicerent. Quafi vero probabile ſit, Witichindum ſcriptorem, re-
rum*

- (b) Wagenſeil de S. Rom. Imp. Official. & ſubofficial. Cap. IX. §. VI. p. 91. ſequ. (c) Conring. de Official. Imp. §. XII. (d) Maſcou. de Originib. Officior. aulic. S. R. Imperii §. XXXVIII. (e) Boecler. Hiſtor. Sec. X. p. m. 216. ſequ. Tom. Diſſ. Acad. III.

rum ciuiliū non imprudentem, tam confuſe ſcripſiſſe, vt priuatam illam annonæ atque obſoniorum curam cum functionibꝯ illis ſollemnibus *archimipincernæ*, *archidapiferi* & *archimarschalli* coniungere & ſollemnem *archicamerarii* officium plane omittere non dubitaret? Et quaſi ex eo, quod *HINC MARVS* (e) ſub Carolingica Regum ſtirpe aliam iſtorum officiorum rationem fuiſſe obſeruat, colligendum ſit, inſequenti ſæculo nullam fieri potuiſſe mutationem. Itaque fixum firmumque maneat, Giſelbertum tunc Archicamerarii officio functum, quamuis illud poſtea, ob turbas in regno illo exortas, in alios atque alios videatur tranſlatum, donec in potentiſſima gente Brandenburgica fixas veluti ſedes, ac ſtabile domicilium reperiret.

§. XIII.

Quæ hactenus a nobis dicta ſunt, ad *LOTHARINGIAM* in vniuerſum, non ſpeciatim ad Ducatum Lotharingiæ, pertinent: proximum eſt, vt de huius quoque prærogatiuis quædam differamus. Quanti momenti ille viſus ſit Germanis, vel inde patet, quod ad exſtinguendas turbas, quæ regno iſti per tantum temporis ſpatium, veluti peſtis, incubuerant, *ARCHIDUCEM* illi præfecerit Otto M. Imperator, quum antea iſtud *ἀξίωμα* plane inauditum eſſet in republica Germanica. Fuit hic Lotharingiæ Archidux primus, ſed & poſtremus, Bruno, Coloniensis Archiepiſcopus, Ottonis M. frater, cuius geſta fuſius deſcripſit *ROVTGERVS* a *LAVR. SVRJO* (g) & *G. G. LEIBNITIO* (h) editus. Hic ergo vbi

D
ad

(e) Hincmar. *Epist. pro Inſtit. Carolomanni Regis* §. XX. T. II. Op. p. 208. [g] Sur. *Akt. Sanct. Tomo V. die XII Octobr.*
(h) Leibnit. *Script. Rer. Brunſu. T. I. p. 273. & ſequ.*

ad illam rem delabitur: (i) Otto inquit, *Imp. fratrem suum, Brunonem Occidenti tutorem & prouisorem, & ut ita dicam, ARCHIDUCEM, in tam periculoso tempore misit.* Ne quis vero existimet, Routgerum tantum ob potentiam Brunoni hanc dignitatem tribuere, eam sane etiam confirmat WITICHINDVS, (k) qui Brunonem *Pontificis summi ac DVCIS MAGNI officia simul gessisse scribit, & in epitaphio Coloniensi vocatur:*

Archos antistes, cui data Colonia sedes.

Sed & AVCTOR VITAE THEODERICI EPISCOPI, (l) ei diserte tribuit titulum *Archiducis & Archiepiscopi:* id quod & SIGEBERTVS GEMBLACENSIS facit in Chronico suo: vt dubium non sit, quin *Archiducis* titulo vere sit vsus, quamuis a CONTINATORE REGINONIS, (m) LEVOLDO A NORTHOF, (n) aliisque, tantum *Dux* saluetur, ab eodem autem auctore vitæ THEODERICI, Episcopi Metensis ei tribuatur *dominatus totius Lotharingæ.* Digna nimirum videbatur Lotharingia, quum in Ducatum mutaretur, vt supremo Duci nouus ac splendidior titulus daretur, non modo ob prouinciæ amplitudinem, quæ Reges olim aluerat, verum etiam, quia ipse Bruno Ducem anno DCCCLVIII. in Lotharingia superiore constitueret Fridericum, (o) adeoque Dux Ducis, id est, archidux, iure dicendus videretur. §. XIV.

Sane si amplitudo prouinciæ atque opes præro-

gatiua

- (i) Routger. in Vit. Brunon. Cap. XVII. p. 279. ed. Leibnit.
 (k) Witichind. Saxo Annal. Lib. I. p. 638. [l] Vita Theoderici Episc. Merens. Cap. VII. p. 297. [m] Contin. Reginon. ad ann. DCCCLIII. & DCCCLXV. [n] Leuold. a Northof. in Catal. Archiep. Colon. apud Meibom. Tom. I. script. rer. Germ. p. 687. [o] Flodoard. in Chron. ad ann. DCCCCLVIII.

gatiua aliqua possessores donant: etiam eo nomine reliquis Germaniæ prouinciis facile anteferenda fuerit Lotharingia, quæ quum initio Regibus Ducibusque paruisset singulis, postea, distracta licet in varios ducatus, Principes tamen habuit opibus viribusque nulli procerum Germaniæ secundos. Nimirum ex quo Duces dare Lotharingiæ placuit: vniuersæ præfuerunt ab anno DCCCCXXI. *Gisilbertus*, anno DCCCCXXXIX. Rheno flumine infeliciter absorptus: (a) *Henricus*, Ottonis I. Imp. frater, paucis post mensibus Bauariæ Ducatu contentus esse iussus: (b) *Otto*, Ricuini filius, qui anno DCCCCXLIV. ad plures abiit, (c) *Conradus* seu *Chuno*, qui focero Ottoni I. Imp. rebellis Hunnos in Lotharingiam pertraxit, postea véro facti pœnitens, aduersus illos fortissime dimicans, anno DCCCCLVII. occubuit: (d) ac denique Archidux, *Bruno*, de quo paullo ante diximus. Quum vero, teste tot annorum experientia, paullo difficilius in Imperii Germanici obsequio continerentur Duces, quibus in Lotharingiam vniuersam erat imperium: diuidere illam placuit. Et superior quidem, quam fere Mosella mediam interfecat, cessit *Friderico*, cui & *Theodericus* filius, & *Fridricus* II. nepos successit. Inferiori, quæ & Ripuaria dicitur, quamq; Mosâ & Scaldis alluunt, ab ann. DCCCCLXXVII. præfuerunt *Carolus*, Ludouici, Francorum Regis ex *Gerberga* Saxonica filius, (e) dein ab anno MV. *Otho*, eiusdem filius. Quo sine mascula prole defuncto,

D 2

Hen-

- (a) *Continuator Reginon. ad ann. DCCCCXXXIX. Ditmar. Lib. II. p. 338. sequ.* (b) *Continuator Regin. ad ann. DCCCXL.* (c) *Idem ad ann. DCCCCXLI.* (d) *Miræus in Nor. ecclesi. Belg. p. 692.* (e) *Sigebert. in Chron. ad ann. DCCCCLXXVII.*

Henricus II. Imper. ducatum inferiorem dedit *Godofredo, improli*, Godofredi Captiui, comitis Virdunenfis, filio, (*f*) quo ipso etiam circa annum MXXIII. sine macula prole extincto, *Gothilo Magnus*, frater, non modo in inferiorem Lotharingiam successit, verum etiam anno MXXXIII. mortuo sine liberis masculis Fridrico, superioris Lotharingiæ Duce, & illum, Ducatum Conradi Salici Imp. beneficio obtinuit. (*g*) Sed fuit hoc illustrissimæ familiæ fatum, vt, quum Gothilo duos filios superstites haberet, *Gothofredum Magnum*, & *Gothilonem Ignauum*, hic inferiorem Lotharingiam, anno MXLVI. amitteret: (*h*) ille superiore ob perduellionem anno MXLV. similiter priuaretur, (*i*) inferiorem quidem recepturus postea, (*k*) eamque relicturus *Godofredo Gibbo*, sed non nisi ad annum MLXXVI, quo tota illa splendidissima familia defecit. (*l*).

§. XV.

Ad *LOTHARINGIAM INFERIOREM* quod attinet, eius potentiam vel inde æstimes, quod paulatim in alios quamplures ducatus distracta, omnibus suffecit, & singuli illi ducatus principes habere, rerum gestarum magnitudine celeberrimos. Nimirum Gothofredis, de quibus paullo ante diximus, in Lotharingiæ inferioris Ducatu successerat Gothofredus Bullonius, (*m*) captis Hierosolymis conditoque regno Hierosolymitano celeberrimus. Huic Henricus Limburgenfis Comes, anno MCI. surrogatus

(*f*) Idem *ad ann. MXII.* (*g*) Aub. Miræus *in Notis. Eccl. Belg. p. 694.* (*h*) Herm. Contract. *ad ann. MXLV.* (*i*) Miræus *ibid. p. 693.* (*k*) Idem *ibid.* (*l*) Lamb. Schaffn. *ad ann. MLXXVI.* (*m*) Sigebert. Gemblac. *ad ann. MLXXXIX.*

gatus est: (n) qui quidem ob rebellionem captus, locum anno MCVI fecit Gothofredo Barbato Brabantino, (o) at Ducalem tamen dignitatem, Limburgensi domui semel partam, constanter retinuit, Sic ex vno Lotharingiæ inferioris ducatu nati sunt duo, *Limburgensis & Brabantinus*. Postea omnes fere comites opulentiores illam dignitatem adfectarunt. Anno enim MCCCIX. eam ab Henrico VII. Imp. domo Luxemburgico, facile impetrarunt *Luxemburgenses*; (p) quam deinde Carolus IV. eiusdem familiæ Imperator anno MCCCIV. luculento diplomate confirmavit. (q) Hos anno MCCCXXXIX imitati sunt *Geldriæ* comites, (r) anno MCCCLVII *Iuliacenses*, (s) anno MCCCXXX *Montenses*, quamvis alii tunc tantum nouo diplomate stabilitam eam dignitatem velint. (u) Denique & Comites *Cluenses* in ipso concilio Constantiensi ad eandem dignitatem euecti sunt anno MCCCCXVII. (x) Atque ita Lotharingia inferior sola præter tot opulentissimos Comitatus, in septem ducatus paullatim distracta est, & non mediocres eos quidem, sed pinguiissimos, & reliquis, qui in Germania magna celebrantur, plerisque facile æquiparandos.

§. XVI.

Ex his duo sunt, qui Lotharingiæ Ducatum
D 3 titulis

- (n) Idem *ad ann. MCI.* (o) Idem *ad ann. MCVI.* (p) Trithem. *in Chron Hirsang. ad ann. MCCCIX* (q) Exstat hoc apud Meibom. *Script. Rev. Germ. Tom III. p. 211.* Leibnit. *Cod. Iur. Gent. diplomat. Part. I. p. 207.* (r) Leibnit. *ibid. n. 78.* Pontan. *Hist. Gedr. Lib. VII. p. 228.* (s) Trithem. *Chron. Hirsang. ad ann. MCLVI.* Pontan. *ibid. p. 270.* (t) Schaten. *Annal. Paderb. Lib. XIV. p. 409.* (x) Trithem. *ibid. ad ann. MCCCXVIII.*

titulis suis adscripsere, *BRABANTINVS & LIMBURGICVS* inter quos mira intercessit æmulatio. Quum enim Dux Limburgensis Henricus, qui anno *MCI* Ducatum Lotharingiæ inferioris loco Godofredi Bullonii erat consequutus, tanti beneficii parum memor, fræna mordere & aduersus Imperatorem hostili animo esse diceretur: illi quidem in captiuitatẽ detruso anno *MCVI* successor datus est Godofredus Brabantinus, Comes Louaniensis; sed cui idem fatum incubuit, quum, electo Lothario Rege, Conrado Sueuo, eius æmulo, sese adiunxisset. Ducatu enim spoliatus a Lothario, locum iterum fecit Valeramo, Duci Limburgensi, Henrici filio, non diutius tamen eo honore fruituro, quam quoad viueret Lotharius. Eo enim anno *MCXXXVII* defuncto, Conradus Sueuus, nemine obnitente, imperauit, isque pristini amoris memor Brabantino Lotharingiæ inferioris Ducatum anno *MCXXXVIII* restituit. (b) Inde ergo lites, utraque domo ius suum titulis testante, donec Godofredus *III* anno *MCLV*. ducta Margaretha Limburgensi, Ducatum Lotharingiæ & successione in Limburgico sibi stipulatus, contentioni illi finem imponeret. Familia enim Limburgica extincta, solus Brabantinus Lotharingiæ Ducatus titulo vsus est, donec & illa splendidissima familia deficeret.

§. XVII.

Nescio quo casu euenerit, vt noui isti Duces gladium præferendi ius in solennibus Regum Germaniæ curiis sibi vindicarint, quum illo officio alioquin Saxoniam Electores indubie fungantur. Sane hoc

(a) Sigebert. Gembl. in *Chron. ad ann. mcxxv.* (b) Aubert. Miræus in *Notit. eccles. Belg. p. 696. edit. Franc. Foppens. T.I.*

hoc ius anno *MCCCLXXXVI* in Wenceslai Regis inauguratione adfectavit Wenceslaus, Lotharingiæ & Brabantiae Dux, quamvis parum impertum sit, Lotharingiæ, Brabantiae, an Luxemburgi Ducatui officium illud adnexum esse existimavit. At successu tum caruit illud Brabantini consilium. Quamvis enim Carolus IV Imp. neutri Principum bilem moturus, gladium tum a filio Sigismundo, decem annorum puero, præferri iuberet: litem tamen postea dedit secundum Saxonem, cui illud ius etiam in Aurea Bulla publica lege fuerat concessum. Simile ius anno *MDXX* sibi adserere conatus est Dux luliacensis, quum Carolus V. Aquisgranum solemnè pompa intraret. Eam enim urbem sui territorii esse, sibi ius conducendi competere, caussatus, Saxonicum Legatum præcedere volens, primus sese in urbem recepit. At Saxones Cæsarem ultra horæ quadrantè retinuerunt, ac sic demum Cæsarem Aquisgranum intrantem præcesserunt, egregio tum in ipsa arena reperto rem expediendi consilio. (b) Procul dubio Brabantinum archiofficii cuiusdam, quod aliquando penes Lotharingiæ Duces fuisse diximus, memoria ad hoc audendum induxit. Fortassis etiam vterque sibi perperam persuasit, in Lotharingiæ regno non licere Saxoni,

(a) *Magn. Chron. Belg. ad ann. MCCCLXXXII. p. 326. Chiflet. in Commentar. Lothar. Cap. XXIII. p. 98. Limnæus Ad. dir. I. P. Tom. II. ad Lib. III. Cap. X. n. 28. & in Obs. ad Aur. Bull. Cap. XXII. Obs. 3. Diploma Saxoni tum datum exhibet. Lunig. in Reichs-Archiv. Part. spec. P. II. p. 5. sequ. (b) Hart. Maurus de Coronat. Caroli V. apud Goldast. in Rational. Const. Imp. Wagenfeil. de S. Rom. Imp. summis officialib. & subofficialib. Cap. VIII. p. 50.*

xoni, quod in reliqua Germania citra controuersiam liceat. Sed aliter fortassis composuissent rationes, si meminissent, & certis Principum familiis iam propria esse illa officia, & in vnum cum Germania imperium, ac veluti corpus, coaluisse Lotharingiam, adeoque nec alios in Lotharingia supremis istis officiis fungi posse, quam quibus semel illa publica lege collata sunt.

§. XVIII.

Feliciora fuere Ducatus Superioris Lotharingia facta, qui non, vt inferior, in varias partes distractus dissectusque est, sed, egregia profecto virtutis prerogatiua, non modo inter innumeras temporum iniurias integer perstitit, & per damna ac per cædes ab ipso duxit opes animumque; ferro, sed & maxima subinde cepit incrementa. Nec minus obseruandum, præclara semper fuisse & etiamnum esse Ducum illorum iura, præclaras immunitates, quas maximam partem recenset diploma Ferdinandi Regis Romanorum anno MDXLII Noribergæ Antonio, Duci Lotharingiæ, concessum, & a Carolo V. ratum habitum, quod quia LIMNAEVS (a) aliique iam ediderunt, nos iam breuitatis studio merito omittimus.

§. XIX.

Neque iam opus est, fufius inquirere in nexum Lotharingiæ cum imperio Romano-Germanico. Iam alii id egerunt ea cura, vt otium nobis fecisse videantur, veluti CONRINGIVS, (b) MASCOVIVS, (c) & nuper LVDEWIGIVS, (d) Concellarius Academiae Halensis. Ex Ferdinandi Regis tabulis paullo ante laudatis adparet, *secunda recognoscere Duces serenissimos ab Imperio, ipsumque Ducatum esse sub protectione, tutela & defensione imperii, illos conferre ad imperii erarium tertia parte minus, quam vnum ex Electoribus. Cætera ducatum Lotharingia esse liberum & immunem, es solle das Herzog.*

(a) *Limn. Iur. Publ. Lib. V. Cap. XI. n. 3.* (b) *Conring. de. Fin. Imp. Lib. II. Cap. XXXVII.* (c) *Mascou. Diss. singulari edita Lips. MDCCXXVIII.* (d) *Ludewig. Singul. Iur. Publ. p. 670. sequ.*

Herzogthum Lothringen, mit seinem Anhang ein ganz frey uneingezogen Fürstenthum, seyn und bleiben ewiglichen, und von der Kaiserl. Maj. dem König Ferdinando, auch Churfürsten, Fürsten und Ständen des H. Reichs ein uneingezogen Fürstenthum, superioritet und Principat erkannt, genennt und gehalten werden.

§. XX.

Permulta etiam sunt, quæ de titulis & insignibus honoris Serenissimorum Lotharingiæ Ducum possent moneri, si vel temporis, vel chartæ angustia hunc excursum ferrent. Sed quum pleraque profundius atque ex interiore historia medii ævi eruenda ferint, veremur ne in iustum opus tunc euasura esset dissertatio. Sufficiat de MARCHISI titulo monere, eum quidem vulgo repeti a ludis equestribus, quos torneamenta vulgo appellitant, in quibus Dux Lotharingiæ a fæcialibus prouocari consueuerit tanquam *Marquis entre les trois Royaumes*: non tamen videri eam solam esse rationem tituli, quo & alii olim veluti Flandriæ Comites apud OLIV. VREDIVM (a) in diplomatibus & sigillis usi sunt, sed quod Ducatus ille vere esset limitaneus, Franciæ occidentali & Arelatenfi regno obiectus. Tales vero prouinciæ simul marchionatus vocabantur, eorumque possessores non modo Duces sed & *marchiones*, vel vt iam HINCMARVS, (b) ORD. VITALIS (c) RAD. DE DICETO (d) alique a CAR. DV FRESNE (e) laudati, loquuntur, *marchisi* audiebant, ceu a Domini PRAESIDIS FRATRE (f) recte est animaduersum. Paucis vt nos expediamus, non Marchisi ideo audiunt serenissimi Lotharingiæ Duces, quia ita prouocati sunt a fæcialibus ludorum equestrium, sed ita eos prouocarunt fæciales,

E

quia

(a) Oliuar. Vred. de Comit. Flandr. Sigill. p. 4. & 8. (b) Hincmar Epist. de orat. palat. Cap. 30. (c) Orderic. Vital. Lib. III. p. 431 (d) Rad. de Diceto p. 680. (e) Carol. du Fresne Gloss. med. & inf. Lat. sub voce *Marchisus*. (f) Heinecc. de veter. Germ. Sigill. Part. I. Cap. X. §. XVIII. p. 123.

quã erant *marchisi*, id est ad tuendos imperii limites vel præcipue constituti.

§. XXI.

Titulus REGIÆ CELSITVDINIS tametsi præcipue Regum filiis dari consueuerit, postremis tamen sæculis non denegari consueuit Principibus, qui iure sibi regna vindicant, quamuis iniusto aliorum factò possessione exclusi. Ita Sabaudia Duci, etiam antequam primum Sicilia, dein Sardinia regnum acquireret, iste honor habitus est, ob ius, quod in Cyprum sibi vindicat. Digna itaque etiam videbatur Domus Lotharingica serenissima, quæ eiusdem honoris ac tituli esset particeps, quum non vnus regni, inprimis vero Hierosolymitani symbola in insignibus vel honoris vel memoria, vel seruandi iuris causa, præferat. Sane ea prærogatiua merito donari Domum serenissimam, ipsi fatentur LEOPOLDI Imperatoris augustissimi codicilli, Serenissimo Duci, LEOPOLDO IOSEPHO CAROLO paullo post pacem Rysuicensem eam in rem clementissime concessi.

§. XXII.

Latus quoque hic sese aperiret campus, maximum illum familiae Lotharingicæ splendorem & prærogatiuam inde quoque natam offensuris accuratius. Antiquitatis vel hoc ipsum est argumentum luculentissimum, quod, tanta de eius originibus sunt scriptorū ditortia. Quemadmodum enim Nili caput vel ideo latuit, quod iud in remotissimis Aethiopiæ arenis esset indagandum: ita maximarum ac splendidissimarum familiarum origines, quo obscuriores sunt & vulgo ignotiores, eo magis vetustate conduntur. Nobis illud videtur certissimum, Gerardum Alsatium, a quo Ducum Lotharingicæ serenissimorum tota augusta familia originem capit, quique primus Lotharingiem circa annum MCXLVIII felicissimis auspiciis adquisiuit, Principibus sui æui maximis esse accensendum, quum

quum non solerent tam pingua feuda nisi Principibus, qui antiquitate generis et gloria maiorum reliquis antecederent, concedi.

§. XXIII.

Si fides habenda ACTIS MVRENSIBVS, cum ab aliis, tum nouissime ab ECCARDO (a) editis, communis fuit Habsburgiorum & Gerardi illius Alfatii origo. Ibi enim diferte legas: *Theodericus Dux Lotharingorum & Chono Comes de Rhinsfelden fratres fuerunt. Horum soror fuit Ita, Comitissa de Habsburg, reparatrix huius Murensis conobii. Genuit autem Theodericus GERARDVM Ducem: ille vero genuit Gerardum de Egisheim, patrem Vdalrici & Stephani. Quæ si vera sunt, quod iam in medio relinquimus, eadem fuerit familiarum potentissimarum origo. Ab Ita enim Habsburgenses; a Gerardo Duces Lotharingiæ descendunt. Alii aliter hunc felicissimarum gentium nexum ostendunt, quorum Circulos iam eo minus turbabimus, quo magis hoc ab instituti nostri ratione abluderet.*

§. XXIV.

Periucunda nihilominus ea foret disquisitio, quam aliis relinquere cogimur. Miranda enim ita esset diuini numinis prouidentia, quæ utrique augustæ serenissimæque familiæ vniuersam, quam late patet, Lotharingiam destinauit, & mira factorum serie non solum concessit, sed & aliquoties restituit. Inferiorem enim imperio suo complectitur Domus augusta Auftriaca; superiorem serenissima Domus Lotharingica. Nec eam factorum legem turbare potuerunt tot sæuæ procellæ, quæ per tot sæcula vtramque prouinciam pæne ad incitas redegerunt. Resloruerunt illæ semper auspiciis sapientissimorum Principum, & magis magisque quotidie reslorescunt, vt dubitare non possis, quin non modo ad pristinam felicitatem adspiraturæ sint, sed & illam longe superatura.


§. XXV

(a) Eccard. *Orig. Habsburgo - Auftr.* p. 203.

§. XXV.

Fausta omnia ac felicia augurati sumus vtrique Do-
mni Serenissimæ. Augurio vt respondeat euentus TE,
immortalis Deus stator felicitatis Augustæ precamur,
vt serues Germaniæ CAROLVM Imp. serues FRANCIS-
CVM STEPHANVM, Ducem Lotharingiæ, cuius de virtu-
te animoque fortunæ maxima capacissimo, non aliud
luculentius exstare potuisset testimonium, quam quod
amorem plane singularem CAROLI VI. Imp. Pii, Feli-
cis, Augusti, Patris patriæ, sibi iam inde a prima ætate
conciliauit. Hoc amicitæ foedus Tu, Deus, fac sit
perpetuum, & non modo vtrique genti po-
tentissimæ, sed & vniuersæ, qua patet,
Europæ, auspicatissimum!

F I N I S.



* * * * *

* * * * *

*
* *

PRAECEPTORVM
FACTORVMQVE
GRATVLATIONES.

* *
*

*
* *

*
* *

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE
DOMINO
RESPONDENTI
IVRIVM CANDIDATO DIGNISSIMO,
S. P. D.
PRAESES.

EX quo tempore ex illustri Rostochienfi academia ad nos TE contulisti, Musisque Viadrinis, ab elegantioris litteraturæ præfidiis probe instructus, nomen dedisti, mi suauissime ENGELKENI: non potui, quia præclaram indolem, & incredibilem ad sapientiæ ciuilibus aliasque honestas artes impetum, cum summa modestia, probitate suauitateque morum coniunctum, & admirarer, & amarem quam maxime. Mihi enim hæc omnia eo accuratius in TE perspicere licuit, quo minus toto illo temporis spatio a latere meo vnquam discessisti. Maximam itaque semper de TE spem concepi, auguratusque sum, audientibus multis, TE talem futurum, quales ego omnes, qui se disciplinæ meæ committunt, esse velim, id est, iurisconsultum doctum, probum, & iustitiæ amantem, reipublicæ denique aliquando vtilissimum. Nihil adhuc in TE animaduerti, quod spem istam vlla ex parte deminuerit: plura contra, quæ illam opinionem meam iudiciumque adhuc confirmarint, & magis magisque quotidie confirment. Sane quum hoc semestri

mestri intra priuatos parietes, vna cum aliis
erectissimæ indolis commilitonibus, in agendo,
excipiendo, ac tota illa forensi tritura, quin &
in recensendis actis & concipiendis sententiis
TE quotidie exerceres, specimina profecto di-
ligentiæ atque eruditionis iuridicæ dedisti non
tuæ ætatis, sed quæ virilem plane prudentiam
dexteritatemque spirarent. Iam & publicum
accedit industriæ argumentum, idque vel eo
nomine ad omnem posteritatem memorabile,
quod, quum non nisi paucissimos dies integros
haberes, quibus TE ad conflictum præparares,
in eo tamen non modo TVI TE simillimum
præbueris, sed & dignus visus sis MAGNO
PRINCIPI, cuius industriam magnifico mune-
re ornaret. Nullo itaque sensu humanitatis
tangi viderer, mi suauissime ENGELKENI,
nisi maximam inde caperem voluptatem, &
summe reuerendo PARENTI TVO talem fili-
um; mihi talem auditorem *γυσιον*, TIBI deniq;
tale ingenium, talemque ad quæuis laudanda
impetum ex animo gratularer. Mactus ergo
TV hac virtute esto, & da operam, vt TE in po-
sterum ipse superes, exitusque plane compro-
bet felix illud de TE augurium, cuius me adhuc
nunquam pœnituit, nec in posterum, si TVI si-
milis fueris, pœnitebit. Ita vale, o dulce decus me-
um, et res TVAS, ceu adhuc fecisti, præclare ge-
re. Traiecti ad Viadr. xv. Kal. April. MDCCXXXII.

NOBI-

NOBILISSIME ATQUE DOCTISSIME
DOMINE RESPONDENS

MUltæ sunt causæ, quæ me, ut præsentî defungar gratulatione, commovere potuerunt. Non enim solum id singulari Tibi cessit honori, quod dirigente Magnifico ac illustri Tuo Præfide in cathedram prodire & elegantes animi Tui dotes cum haud vulgari doctrinarum scientiarumque apparatu conjunctas explicare potueris, verum etiam ea Tibi rarissima contigit felicitas, ut dissertationem Tuam *de eminentioribus Ducatus Ducumque Lotharingiæ prærogativis* doctè conscriptam *Serenissimo Principi ac Duci Lotharingiæ* Viadrinam hanc transeunti ipse inter Musarum nostrarum applausus offerre, eoque, quam materiæ dignitas conciliare poterat, gratiam & favorem provocare potueris. Hac me compellere debebant, ut, qui alias ad hoc literarum genus tardior esse soleo, jam promptissimus fuerim ad testandum, quam gratum mihi fuerit imo lætissimum, vidisse, quod feliciter hoc diligentæ Tuæ academicæ specimen successerit. Et id exigebat amor & existimatio, quam de Te concepi amplissimam, ex quo mihi ingenuus ille ac nobilis Tuus discendi ardor & egregii jam jam profectus in variis literarum generibus innotuerunt.

Per-

Perge in illustri hoc virtutis & doctrinæ stadio,
prout hætenus multa cum laude fecisti, iter
conficere, & demum indefessæ operæ lautissima
cape præmia & honores, quo & inprimis *Ma-*
gnificus ac Summe Reverendus DNVS Prens
de Te lætandi, omnes amici & fautores Tibi
gratulandi uberrimam habeant occasionem. E-
go nunquam desinam Te sincero atque paratis-
simo affectu & amore complecti Vale. Dab.
Francof. ad Oder. d. XVIII. Mart. MDCCXXXI.

CHRIST. GODOF. HOFFMANNVS,
Confil. Reg. Maj. Int. & Ordinis
Jur. Ordinar.

*NOBILISSIMO, DOCTISSIMO ET POLITISSIMO
VIRO JUVENI*

DN. CHRIST. HENR. ENGELKEN,

AMICO SUO IN PAUCIS CARISSIMO
ET SUAVISSIMO

S. P. D. PAULUS ERNESTUS JABLONSKI.

Differtationem eruditissimam, quam pro
humanitate Tua mihi ipse legendam ex-
hibuisti, sine mora & quidem avidissime perle-
gi. Argumentum enim, quod illustrandum in
Te suscepisti, cum per se tale est, ut dignitate
sua se magnopere commendet, & quemvis ad
cupide legendum pelliciat, tum huic tempori,
quo Celsissimus Lotharingæ Dux, in quem to-
tius

tius Europæ animi vultusque nunc conversi sunt, etiam Musas nostras augusta sua præsentia beavit, inprimis appositum & accommodatum. Accedit nomen Dissertationi præfixum auctoris, quem & propter alias virtutes, & propter eruditionis exquisitæ copiam, cum suavi modestia conjunctam, mihi carissimum semper fuisse, nosti, ex quo me nosti. Legi itaque Dissertationem recens e prelo exeuntem, & relegi cum voluptate, neque impetrare à me possum, quin illum voluptatis sensum, quem ex lectione Dissertationis Tuæ percepi, nunc etiam pro amicitia nostra Tecum communicem, Tibique tam insigne ingenii & doctrinæ specimen, quod tam illustri occasione peropportune erudito orbi obtulisti, candido affectu ex animo gratuler. Vix puto repertum iri, qui non Dissertationem illam pro foetu complurium mensium, invigilantibus lucernis excluso, habiturus sit. Ita namque argumenta, quæ regni & Ducatus Lotharingici maximum splendorem in aprico ponunt, ex intimis Historiæ Germanicæ mediæ penentralibus eruta sunt. Ita argumenta Tua, testimoniis luculentis probatissimorum & reconditissimorum præsci ævi monumentorum, veluti communis & extra omnem dubitationis aleam collocas. Ita sermone polito atque apto ordine omnia exponis, ut non minus sententiarum suavitate, quam rerum pondere,

&

& argumentorum gravitate, lectorem ducas,
& in partes tuas trahas. Et tamen novimus,
quod pauci persuaderi sibi patientur, intra an-
gustum unius hebdomadis ambitum foetum il-
lum & conceptum, & perfectum, & in lucem
editum, & denique, plaudente Musarum no-
strarum choro, publice ventilatum fuisse. Ma-
giste igitur virtute Tua, præstantissime & ami-
cissime ENGELKENI, qui, dum eminentissi-
mas prærogativas, Augustæ Domus Lotharin-
gicæ, nobis tam erudite evolvis, ad splendo-
rem etiam Gentis Tuæ plurimum confers.
Suspexerunt eruditi insignia merita Venerandi
Tui Patris, qui etiamnum Dioceses, Parchi-
mensem, Megapolitanam, & Suerinensem, ma-
gna cum pietatis & prudentiæ laude gubernat.
Iisdem nomen, quod Tu geris, venerabile effe-
cit, maxime Reverendus Tuus Patruus, ma-
gnum ordinis Theologici in Academia patria
ornamentum. Quorum vestigia, dum æquali
gressu mature & feliciter premis, & ipse

sublimi feries sidera vertice,

& laudes gentis Tuæ inclytæ intermori non pa-
tieris. Quod superest, Tibi, amicissime ENGEL-
KENI, tuisque cum eruditis, tum cunctis aliis
bonis moliminibus omnem benignioris fortunæ
ac Divinæ gratiæ largam accessionem toto pe-
tore precor. Dabam Francofurti ad Viad. D.
XVIII. Mart. MDCCXXXII.

Hoc

HOc age quod pietas & quod reuerentia
dicat,

Hoc age, factanto debita Sacra Duci.
Pande simul doctas queis polles præditus artes,
Ut micet ingenii vis patefacta TVI.
Tergemini plausus conamina tanta sequentur,
Ad quos hæc etiam pauca referre potes.

*Clarissimo Domino ENGELKEN,
de edito egregio singularis eru-
ditionis specimine ex animo gra-
tulans scr.*

JOH. WOLFGANGVS TRIER,
Conf. Reg. Aul. & Cod. P. P.

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

CHRIST. HENR. ENGELKEN, J. U. C.

S. P. D.

JUSTUS CHRISTOPHORUS DITHMARUS,

QUum ante sesqui-annum & quod excur-
rit in album civium nostrorum litera-
torum Te reciperem, non jam solum bene de
Te sperabam, sed & talem Te futurum, qua-
lem eventus comprobavit, penitus confide-
bam. Nec sinistre me ominatum fuisse lætor.
Non

Non enim moribus solum, qui ingenuum pe-
ctus decent Te probasti omnibus, sed & soli-
dos tuos in bonarum literarum pariter ac Ju-
risprudentiæ studiis profectus in arena dispu-
tatoria ex opponentium loco sapius fecisti te-
stos. Quod vero nunc edidisti studiorum
Tuorum specimen publicum, si argumentum
commode selectum parique doctrina elabora-
tum ac defensum respicias, ejusmodi sane est,
ut spem de Te excitaveris apud omnes, fore,
ut Reipublicæ olim insigni emolumento sis.
Quibus cum singularis illa gratia accedat, qua
a Celsissimo Principe laudabilis conatus Tuus
fuit exceptus, non possum non, quin institutum
Tuum, Honoresque, quos inde jam tulisti,
ex animo Tibi gratuler, D. O. M. precatus,
ut studia Tua conatusque omnes porro Tibi,
Nobilissimæ familiæ Tuæ ac Reipublicæ quam
felicissimos esse sinat. Vale. Dabam Trajecti
propter Viadrum XIX. Martii, M DCC XXXII.

NOBILISSIMO CONSULTISSIMO ac DOCTISSIMO

DOMINO ENGELKEN,

AMICO SUO ÆSTUMATISSIMO

S. P. D.


JOHANNES FRIDERICUS POLAC,

J. U. D. & Prof. Jur. Extraord.

Ab

AB eo potissimum tempore, quo Tua amicitia uti, Tuasque virtutes interius cognoscere mihi licuit, Amice æstumatissime; dubius sæpe ac anceps fui, utrum magis præclaram sæpe ac anceps fui, utrum magis præclaram mentis indolem, an præstantissimas, quas Tibi tanto labore acquisivisti doctrinas, an singularem Tuam humanitatem, qua studia Tua commendare soles, satis admirari inciperem. Ita enim his omnibus Te mirum in modum videmus exornatum, ut, quod alias vix multis concessum, id Tu solus jure quasi proprio possidere videaris. Habuit jam Tua gens Viros ingenio doctrinaque claros, quorum ad exemplar mores Tuos componere, eorumque virtutes imitari vel superare laudabili conatu didicisti. Nunc adhuc restat, ut & metam dignaque meritorum præmia, quod certe prævideo, pari aut longe majori felicitate obtineas ac brevi consequaris. Nec erit vana hæc mea, quam de Te concepi spes, rarum enim est exemplum, quod tamen in Te admiramur, natura & arte simul valere, his imprimis temporibus, ubi plerique corpus, pauci ingenium digne satis exercent, ingensque deprehenditur circa artes bonas solitudo. Eo confidentius ergo optima quæque auguror, quo luculentius extat Tuæ pereximiæ eruditionis specimen, quod

quod de *Eminentioribus Ducatus Ducumque
Lotharingia prerogativis* jam edidisti. Sane
si quod est prætium virtutis, imò si magnum
statuitur illis, qui de singulorum jure ejusque
conservatione bene merentur, quid quæso &
quale Tibi manebit, qui excellentes animi Tui
dotes, juribus Celsissimorum Principum im-
pendis, à quorum salute ipsa publica salus pen-
dere videtur. Deus, quem supplex veneror,
Tuis porrò annuat cœptis, sic nunquam mihi
deerit occasio, meum Tibi devinctissimum
animum uberius sæpiusque declarandi. Vale &
ubicunque locorum nos fata forte trahunt, re-
cordare nostræ amicitiaë. Dabam Francofurti
cis Viadrum die XIIX. Martii MDCXXXII.



AD

AD BENEVOLVM LECTOREM.

Quum Dissertatio hæc intra paucos dies scripta pariter ac typis expressa sit, fieri non potuit, quin sphalmata quædam passim irreperent, quæ, licet leuia videantur, notasse tamen atque emendasse iuuabit.

§. IV. p. 7. lin. 9. pro *ignarit* lege: *ignari*.

§. VI. p. 12. lin. 6. pro *haraditate* lege: *bereditate*.

ibid. lin. 22. pro *transfigurauerat* lege: *transfigurauerat*.

§. IX. p. 17. lin. 16. item not. o. pro *Brauwilerensis* lege *Brunuilerensis*.

§. XI. p. 20. lin. 13. pro *Dactorum* lege: *Ductorum*.

§. XII. p. 23. lin. 3. pro *archinipincerna* lege: *archipincerna*.

§. XIII. p. 23. lin. 13. pro *Routgerus* lege: *Ruotgerus*.

p. 24. lin. 4. pro *Routgerum* lege: *Ruotgerum*.

p. 29. not. a. pro *Reichis* lege: *Reichs*.

§. XIX. p. 30. lin. 5. pro *Concellarius* lege: *Cancellarius*.

ib. lin. 7. pro *reccognoscere* lege: *recognoscere*.

§. XX. p. 31. lin. 5. pro *ferint* lege: *sint*.

§. XXII. p. 32. lin. 6. pro *iuur* lege: *illud*.

§. XXIII. p. 33. lin. 11. pro *Lotharingia* lege: *Lotharingie*.

Frankfurt, a. O., Diss., 1732-33

ULB Halle

004 372 239




3

f

5b.

v D 18





Farbkarte #13

B.I.G.



1732, 3a
 14.
 3

D. B. V.
 DE
ORIBVS DV-
CVMQVE LO-
GIAE PRAE-
ATIVIS
 IO IVRIS PVBLICI
 SSIMO PRINCIPI AC DOMINO,
 M I N O
STEPHANO,
 E, MARCHISO, DVCI CALA-
 CIAE, MARCHIONI PONTAMVS-
 TI PROVIN CIAE, VALDEMONTII,
 AE, SAHRVERDAE ET SALMIAE.
 MENTISSIMO, CONSECRATA,
 ET
AESIDE
 E MAGNIFICO,
 E EXCELLENTISSIMO VIRO
HEINECCIO, IC.
 S. CONSILIAR. INT. ET
 F. P. ORD.
 PTORE SVO OMNI PIETATE ET
 NTIA COLENDO,
IA VIADRINA
 ARTII MDCCLXXXII.
 L. Q. C.
 VISIONI PROPOSITA
 AVCTORE
ENRICO ENGELKEN,
 hienfi. J. V. C.
 Typis SIGISMUNDI GABRIEL. ALEX.

